



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117956**

§. 12. S. Henricus Rex Italiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Sæculum XI. cus, qui postquam Sacram Sedem mensibus non plus quinque tenuisset, ultima die Octobris anno 1003. obiit, & in Monasterio S. Sabæ sepultus est. Exinde postquam S. Petri Cathedra mensibus quatuor & dimidio vacasset, decima nona Martii anno millesimo quarto, Papa ordinatus est Joannes XVIII. alio nomine Fasanus, patria, sicut ipsius Antecessor, Romanus, qui sedit annis quinque. Quidam Scriptor hujus Sæculi refert, tunc Romæ Monasteria Virginum viginti, Monachorum quadraginta, Canoniorum sexaginta, illis, quæ extra Urbem erant, non recensitis, fuisse numerata.

*Arnulph.  
Com. to. 2.  
antig. lett.  
Canis. p. 114.*

## § XII.

*S. Henricus Rex Italiæ.*

*Muratori  
Anecd. to. 2.  
p. 204.*

Ex quo Otto III. e vivis abierat, Henricus necdum Rex Italiæ habebatur. Nam Principum aliquis Longobardus, nomine Arduinus, seu Harduicus, Ticini in die Dominica, decima quinta Februarii, anno 1002. tribus postquam Otto decessor

*cessorum ejus factionis Pontificum voluerit nominari, & eo pariter numero consignari, quo omnes ipsorum studiis promoti, & eo nomine insigniti etiam Pseudopontifices includerentur, ut nefarius ille (Joannes XVI.) qui sedit in Schismate contra Gregorium Joannes Placentinus &c.*



decessisset septimanis vix elapsis corona-<sup>Sæculum XI.</sup>  
 tus fuerat. Quare Henricus Rex, ubi <sup>A.C. 1004.</sup>  
 floridum ver militum turmas educere <sup>Ditm. lib. 6.</sup>  
 permisit, superatis alpibus anno 1004. <sup>p. 61. Chro.</sup>  
 in campis Veronensibus castra posuit, <sup>Saxo. 1004.</sup>  
 ibique Festum Paschale, hoc anno in diem  
 decimam septimam Aprilis incidens, ce-  
 lebravit. Tum Brentam cum exercitu  
 trajecit, Arduinum occupaturus, adver-  
 sam ripam cum copiis obtinentem. At  
 ille adventum hostis expectare non au-  
 sus fuga se proripuit. Tum Henricum  
 Brixia Archiepiscopus Ravennas, ejus-  
 que Suffraganei exceperunt, Pergami  
 vero eidem fidem juravit Archiepiscopus  
 Mediolanensis, qui Principem Ticinum  
 secutus, eum in Ecclesiam S. Michaelis  
 deduxit, ubi totius Longobardia Opti-  
 mates eodem Archiepiscopo duce Hen-  
 ricum Regem elegerunt, coronaruntque  
 medio mense Majo, postquam Arduinus  
 annis duobus totidemque mensibus re-  
 gnasset. Qui ei adhærebant, collectis vi-  
 ribus seditionem commovent, & urbem  
 Papiensem maximam partem flammis  
 vastant. At Henricus Rex rebellibus  
 domitis celeriter Germaniam repetens  
 Festum S. Joannis Argentorati celebra-  
 vit.